

A datis eius obtemperatum fuisse. Quod inter alia ex eo satis apparet, quod etiam cum obedientia sibi subtracta fuerat, per literas suas prælatis & capitulis, ne ad dictum sacrum concilium accederent, inhibere præsumpsit. Ideo eadem sacrosancta synodus ex certiscentia & causa debite cognita, ad perpetuam rei memoriam, & ut cunctis clareat rei ueritas bene gesta, declarat ordinationem prædictam prædicto Ferdinando quondam rege iuste & legitime editam & promulgatam fuisse, & per eum ac illustrem principem dominum Alphonsum, eiusdem domini Ferdinandi primogenitum & regem modernum, seruatum. Ipsamque præsentis decreto dictis ex causis approbat & confirmat, decernitque illam per omnia debuisse & debere ab omnibus fidelibus obseruari, iuxta ipsius seriem & tenorem.

¶ Concilium reuocat quandam constitutionem Petri de Luna, quæ incipit, Ad futuram.

Eadem quoque sancta synodus Constantiensis quandam constitutionem dudum (ut dicitur) à dicto domino Benedicto sic in sua obedientia nuncupato, editam, quæ incipit, Ad futuram rei memoriam, In dierum successu crescente malitia sicuidem mus mundum, &c. & fuit datum Massiliae apud sanctum Victorem decimoquarto Calendas Iunii, Pontificatus nostri anno decimotertio; declarat nullatenus comprehendere casum regie ordinationis prædictæ, consequenter reges ipsos dictam ordinationem condendo, promulgando, obseruando uel obseruari faciendo, etiam alios obseruatores eiusdem contra dictam constitutionem in aliquo non uenisse, ipsamque si & in quantum regie ordinationi præfatæ in casu præmissio factæ aut promulgatæ aut obseruatoribus eius quomodolibet obuiaret, tanquam impeditiuam in hac parte unionis ecclesiæ inueteratæ schismatis nutritiuum, omniaque inde secuta decernit & pronunciat nullius fuisse aut esse roboris, efficacis uel momenti. Post prædicta dictus reuerendissimus dominus cardinalis uicecancellarius nomine totius synodi respondit, Placet.

SESSIO TRICESIMAPRIMA.

D IE mercurij ultima supradicti mensis Martij, in ecclesia maiori Constantiensis fuit sessio generalis celebrata, & in eadem sessione fuit dictum officium missæ de spiritus sancto per reuerendissimum patrem dominum Martinum episcopum Aprutinensem. Reuerendissimus uero pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis huiusmodi sessioni præsidebat. Leranjs autem & alijs orationibus consuetis expletis, per dictum dominum præsentem more solito pontificalibus indutum, legebantur per dominum Antonium episcopum Concordiensem & Petrum de Polonia successiue ea, quæ sequuntur.

¶ Monitorium contra comitem Virtutum.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritus sancto legitime congregata, uniuersalem ecclesiam representans, uniuersis Christi fidelibus salutem & omnipotentis dei benedictionem. Dudum cum ad audientiam nostram perueniret, fama publica referente, quod nobilis uir Philippus comes Virtutum, nonnullique alij in hac parte commissarij & officiales sui ipsius de mandato & assensu, ac ratum & gratum habendo, contra uenerabilem fratrem Albertum episcopum Astensem patrem & pastorem animarum suarum, cui obedientiam & reuerentiam debitas facere tenebantur, & qui unâ nobiscum in hoc sacrosancto concilio generali onera humiliter supportauit, ac de speciali licentia nostra ad suam se transulit Asten. ecclesiam, nulla sumpta occasione iusta, temerarie & iniuste in dictum dominum episcopum

hhh iij pum